



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 19. Jacobi Merlini Doctoris fata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1541.  
benevolentiam sibi concilians inter ejusdem familiares cooptatus, tandem die vigesima prima Novembris anno salutis millesimo quingentesimo vigesimo septimo ab eodem Papa adhuc in arce S. Angeli capto Presbyteris Cardinalibus adscriptus est, ejusque electionem idem Clemens literis in forma Brevis confirmavit, ne forte hac super re quæstio, dubiumque moveri posset. Anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo a Paulo III. Legatus a latere relictus est in urbe, quando ille Roma Placentiam versus discessit. Obiit Vincencius Neapoli die vigesima octava Septembris.

## §. XIX.

*Jacobi Merlini Doctoris fata.*

*Dupin. Bibl. des Aut. Eccles. tom. 14 in 4. p. 160.*

Inter Scriptores Ecclesiasticos, qui hoc anno fati functi sunt, præprimis recenseri meretur Jacobus Merlinus ex Lemovicensi Diœcesi ortus, Theologicæ Parisiensis Facultatis Doctor. Hic per aliquot annos in Monte Martyrum Parochi munus explebat, postea vero Parisiis in Canonicum Ecclesiæ ad B. Virginem nominatus, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quinto ad obeundum majoris Pœnitentiarii officium seligebatur: cum autem religionis zelo animatus adversus Aulicos, qui

no-

novis erroribus favere credebantur, vehementer declamaret, Francisci I. Regis jussu die nona Aprilis anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo vigesimo septimo in Luparensis Castri carceres conjectus est, ex quibus non nisi post biennium ad Parisiensium Canonicorum preces liberatus exivit, adjecta tamen pœna, qua Nannetem in exilium deportari jubebatur; Deprecabantur pro eo apud Nannetensem Ecclesiam Parisienses Clerici; unde ipse etiam Rex tandem placatus, mense Junio anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo Lutetiam Parisiorum redire eidem permisit: igitur ad urbem reversus, a Parisiensi Episcopo Vicarius Generalis, nec non Ecclesiæ ad S. Magdalenam Parochus & Archipresbyter nominatus est. Hic idem ceteris prior Origenis libros, quos publici juris fecit, etiam defendere aggressus est, edita hanc in rem apologia, quam editioni a se concinnatæ præfixit, nec minus primus fuit inter illos, qui omnia Concilia in unum collecta typis excudi curavit, tresque harum collectionum editiones vulgavit, quarum primæ duæ anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo quarto, & trigesimo quinto Parisiis, tertia vero Coloniz anno salutis millesimo quingentesimo trigesimo publicam lucem a-

Sæc. XVI.  
A.C. 1541.

spe-

Sæcul. XVI. spexit (\*). Edidit insuper anno Do-  
A.C. 1541. mini millesimo quingentesimo decimo  
 octavo opera Richardi a S. Victore, nec  
 non Petri Blessensis libros anno Salva-  
 toris millesimo quingentesimo decimo  
 nono. Postea Durandi a S. Portiano  
 commentarios anno reparatæ salutis  
 millesimo quingentesimo decimo quinto  
 typis excudi curavit. Prodiere insuper  
 anno millesimo quingentesimo trigesi-  
 mo octavo Parisiensibus literis ejusdem  
 Scriptoris homiliæ in illa S. Lucæ ver-  
 ba cap. i. v. 26. *Missus est Angelus Ga-  
 briel a Deo ad Virginem &c.*

§. XX.

*Judicium circa hasce Collectiones.*

**A**d concinnandas hasce Conciliorum  
 collectiones Merlinus potissimum  
 inducebatur ex ingenti desiderio, quo  
 dissidia, quibus Ecclesia discindi cœpe-  
 rat, sedare peroptabat; cum enim Ca-  
 tholicæ Religionis incrementa summo  
 studio promovere satageret, hoc opus  
 in duos tomos digestum aggressus est,  
 illudque Stephano Ponchero Senonensi  
 Archiepiscopo, nec non Francisco ejus-  
 dem

---

(\*) Vide tractatum de Conciliis, & eorum  
 collectionibus Parisiis in majori forma impres-  
 sum anno Christi millesimo septingentesimo vi-  
 gesimo quarto.